



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Francisci Svarez Granatensis E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Primarij
at[que] Emeriti olim Professoris Tractatvs Qvinque, Ad
Primam Secvndae D. Thomae**

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1629

7. An in omni subiecto, in quo potest esse mortale, possit esse veniale.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94065)

dispositus, vt si occurrat occasio deserendi vel Deum, vel creaturam potius derelinquat Deum, quam creaturam.

XIV. Sed hæc sententia mihi nullo modo probatur, & falso nititur fundamento. teneri nos magis intensiue diligere Deum, quam cetera omnia, quod falsum esse in materia de charitate, & penitentia latius ostendo. Nunc breuiter ratio est, quia intensio per se neque cadit, neque potest cadere sub præcepto, quia nullo modo potest homini consistere qua intentione, & quo conatu amet. Deinde intensio actus non efficit actum malum per se, vnde si rationes dictæ sententiæ vrgerent, etiam probarent non tantum actum venialem ex obiecto, sed etiam indifferentem, imo & bonum propter intentionem posse fieri mortale peccatum. Præterea sequitur omnes, qui ardentiter aliquid amant, exponere se periculo peccandi mortaliter: quod est absurdum: præterea vel ista intensio, quæ facit veniale mortale, est determinata, vel non, sed non respectiue est consideranda, si primum sit, v. g. vt decem, vel vt octo: ergo quicumque amat illud obiectum intensiue, vt octo, peccat mortaliter: ergo etiam si habeat charitatem Dei vt centum, & creaturam illam amet, vt octo, peccabit mortaliter, quod euidenter est falsum, quia ille nullo modo diligit creaturam plusquam Deum, vel ille gradus intensiōnis non est certus, & ideo debet sumi ex comparatione ad dilectionem Dei, ita vt tunc solum, & semper sit mortale, quando in eodem subiecto excessus in intensiōnem charitatis. Et hoc primo est contra rationem, quia peccatum per se ex propriis, obiecto scilicet, & circumstantiis, habet propriam deformitatem: illa autem intensio per se non est mala, & remissio amoris Dei per se non est mala: ergo quod ille coniunguntur in eodem, non possunt efficere actum illum peccatum mortale, alias quicumque remisse amaret Deum, deberet mortaliter timere in se peccatum mortale, & peccatores in quocumque amore creaturæ peccaret mortaliter, quia intensiue amant creaturam, quam Deum, quem non amant, nam tenemur Deum magis non solum intensiue, sed etiam appetitiue diligere, vt communiter docent Theologi cum Augustino 21. de Ciuitate cap. 26. Neque verum est per intensiōnem actus semper firmius adherere voluntatem si amores non sint eiusdem rationis, vt in proposito contingit, nam verus Dei amor ex charitate ex vi suæ essentia, licet sit remissus, firmius coniungit voluntatem cum suo obiecto quam quilibet amor intensus creaturæ, quod intelligendum est per se loquendo, nam per accidens ex fragilitate amatoris potest interdum inferior amator vincere. Ex quibus colligitur per solam actus intensiōnem nunquam veniale peccatum fieri mortale, per se loquendo: per accidens vero interdum posse si quis aduerneret inde sibi oriri mortalem quandam occasionem transgrediendi aliquod diuinum præceptum, tunc enim esset peccatum mortale non propter intensiōnem, sed propter periculum.

XV. Dicendum est ergo tunc aliquem constituturæ finem vltimum in obiecto peccati venialis, quando ex affectu ad illum paratus est alia præcepta grauiora transgredi, quod contingere posse videtur dupliciter. Primo, si quis directe, & expresse id animo concipiat, quod directe est contra charitatem Dei, & hoc sensu procedit secunda pars conclusionis. Secundo modo potest contingere implicite tantum, vt cum voluntate aliquis in actu exercito transgreditur graue præceptum, vt si otiose loquatur, v. g. vel cum huic

Suarez in primam secundæ D. Thomæ.

periculo voluntarie se exponit, vt dictum est: tamen in eo casu illa transgressio præcepti iam est circumstantia mutans speciem, vide Syluest. verbo Peccatum. §. 3.

Sed tunc quæret aliquis an in huiusmodi euentu ita augeatur malitia ex illo obiecto desumpta, vt intra propriam speciem putanda sit grauis, & mortalis. Respondeo ita videri cum Almaino tractatu 1. moralium capite 12. itaque qui ex nimio amore ludendi furatur, non solum furando, sed etiam ita amando ludum, peccat: quia ille amor non intensiue tantum, sed etiam appetitiue est nimius: neque satisficeret confessioni dicendo se fuisse furatum, nisi addendo ex nimio amore ludendi, quod sentit Caiet. q. 88. in 2a. art. 4. & disputatione sequenti, agentes de omissione à nobis diligenter exponitur.

Propositio quarta. Circa tertium sensum quæuis actus numero posse esse successiue veniale, & mortale peccatum. Conclusio de exteriori actu est per se manifesta: de interiori probato. Quia idem actus potest esse in principio indeliberatus, & si ratio magis aduertat, & voluntas in eodem actu magis perseueret, & consentiat, erit peccatum mortale: & potest contra in principio actus esse deliberatus, postea vero fieri potest, vt homo passione aliqua, vt ira, &c. paulatim accendatur, ita vt impediatur vsus perfectus rationis. Præterea idem patet in actu veniali ex leuitate materia: nam sicut potest idem actus successiue intendi, & remitti, ita ad maiorem, vel minorem materiam extendi. Idem patet, si in principio actus sit forte otiosus ex materia indifferente: & perseuerante eodem actu accedat grauis prohibitio homine aduertente, & illam considerante. Et ratio est, quia deformitas mortalis licet sit de essentia mortalis peccati, tamen accidit ipsi actui voluntatis, & ideo potest interdum esse & abesse ipso actu mutato tantum accidentaliter: indicat tamen D. Thomas 1. 2. questione 88. articulo quarto, illum actum manere eundem in esse naturæ non in esse moris, quia magna mutatio moralis in illo facta est, quod pertinet ad quæstionem de nomine, nam res per se patet.

Dixi tamen in conclusione successiue, quia simul non videtur, per se loquendo, eundem actum posse esse veniale, & mortale peccatum, quia istæ denominationes includunt oppositionem, & repugnantiam: licet negandum non videatur posse eundem actum simul habere malitias morales veniales specie diuersas, & ita fieri potest, vt vni earum sit coniuncta malitia mortalis, & non alteri: vt cum quis mentitur contra iustitiam, ibi est malitia contra veritatem, quæ non est mortalis, & est contra iustitiam, quæ est mortalis, & idem est notandum in similibus.

SECTIO VII.

An in omni subiecto in quo potest esse mortale, possit esse veniale.

TRACTAT hoc D. Thomas 1. 2. quæst. 89. articulo 2. & 4. Aduertendum est duobus modis intelligi posse aliquem carere potestate peccandi. Primo propter interiorem bonam dispositionem diuinæ gratiæ sibi inhaerentem. Secundo modo propter extrinsecum Dei fauorem, & protectionem. De posteriori hoc modo non est quæstio: nam certum est posse Deum aliquem in gratia ita confirmare, vt mortaliter peccare non possit: tamen possit venialiter, & contra potest re-

K k lin-

XVI.

XVII.

4. Propositio.

XVIII.

Exponitur propositio præcedens.

I.

Propositio duplex sensus quæst. & expeditur alter eorum.

Inquire cum potestate peccandi mortaliter, & nullo modo permittere, vt venialiter peccare possit, quamdiu mortaliter non peccauerit, & hoc saltem modo concessum fuisse privilegium hoc in statu innocentie hominibus est mihi verissimum, quod in prima parte demonstratur. Vide tractatum de opere sex dierum lib. 3. De altero autem sensu est difficultas, & supponendus est ille duplex modus peccandi venialiter, vel ex indeliberatione actus, vel ex parvitate materie, quibus suppositis.

II. Prima propositio. Fieri potest, vt aliquis possit peccare mortaliter, & non venialiter per indeliberationem. Probat, quia potest fieri, vt aliquis natura sua non sit capax actus indeliberati, qui tamen sit liber ad peccandum, vt patet in Angelo, vel etiam in anima separata; & idem putant aliqui factum fuisse in Adamo in statu innocentie, sed licet verum sit in eo statu non fuisse futuros actus indeliberatos; tamen non censeo illud provenisse ex solis habitibus, & iustitia inhærente, sed necessarium prætereā esse arbitror singularem Dei potestatem, & fauorem ad eum effectum præcipue.

III. Secunda propositio. Quicumque potest mortaliter peccare, potest etiam venialiter, quantum est ex intrinseca eius dispositione, ita Scotus & Gabr. 2. d. 21. & 24. & Almain. tractat. 3. capite vigesimo secundo, & refert Almainus, Altiſiodo. 2. p. Summa. Et probatur, nam qui potestatem habet peccandi mortaliter, potest eligere bonum delectabile turpe, & honesto, & hoc in gravi materia: ergo eadem ratione poterit idem peccare in materia leui, quia non potest intelligi intrinseca dispositio, quæ vnā istarum libertatum auferat, non vero alteram, vt statim magis patebit.

IV. Confirmatur in Adamo, de quo est potissima controversia. Nam tota illa intrinseca dispositio, qua erat optimè affectus, nõ potuit illum necessario continere, ne committeret contra legem obligantem ad mortale: ergo si lex illa solum obligaret ad veniale, vt potuit fieri, eadem ratione non minus posset illam transgredi. Deinde sicut comedit de illa arbore sic prohibita, potuit comedere ex alia nullo modo prohibita, sine necessitate tamen, vel honesto fine. Tandem ne id faceret, non poterat necessario impediri ab aliquo habitu. Nam ipsi sunt habitus, in eo potissimum, qui Deum non videt, subditi sunt libero arbitrio; nam habitibus utimur cum volumus, teste Aristot. nullus ergo habitus potest inferre per se necessitatem. Neque vero aliqua cognitio poterit illam inferre, quia Adamus non necessario actu considerabat omnia, alias neque mortaliter peccaret eadem ratione: præter has autem nulla alia perfectio intrinseca fingi potest, cui ille effectus tribuatur: ergo.

V. Porro eisdem rationibus concluditur Angelum natura sua posse venialiter peccare, quandoquidem potest mortaliter, nam sicut potest inconsiderate agere in materia graui, ita in materia leui. Dixi tamen natura sua, quia Angeli, & Sancti ob statum beatitudinis, nullo modo peccare possunt, Angeli vero mali propter obstinationis statum forte semper peccant mortaliter. Contra istam partem arguit D. Th. sup. art. 4. Nam Angelus nihil vult, quod non referat actu in vltimum finem, quia Angelus natura sua omnia resoluit ad prima principia. Primum autem principium in operabilibus est finis vltimus: ergo nõ potest Angelus deficere in medio, quin deflectat ab vltimo fine, quod est mortaliter peccare. Et

Extenditur præcedens propositio ad Angelos.

eodem ferè argumento vt videtur art. 3. de homine in statu innocentie, in quo hic ordo erat firmiter constitutus à Deo, vt quamdiu suprema portio hominis esset recte subdita Deo, omnes inferiores hominis partes essent optimo modo, & ordine subiectæ superioribus: ergo quamdiu homo in illo statu haberet Deum pro vltimo fine, non posset non velle omnia propter eum finem: ergo non posse venialiter peccare.

Ad primam rationem respondeo primo non videri necessarium, Angelum natura sua omnia necessario referre actu in vltimum finem, quia nulla est ratio, quare nõ possit velle aliquid particulare obiectum propter propriam eius bonitatem, nihil cogitando de alio fine. Confirmatur: nam Angelus etiam cum mortaliter peccauit, non retulit expressè & formaliter actum suum in creaturam, & in vltimum finem, sed solum in virtute, vt homines faciunt: patet etiam exemplo, quo Dicitur Thomas vritur, nam licet Angelus possit conclusionem, quam considerat, resolueret vsque ad prima principia, non tamen semper actu id facit necessario: sed deinde licet deus Angelum semper cogitare de vltimo fine, & referre omnia, quæ sunt referibilia in illum, tamen si vellet ob delectationem, vel aliam similem causam leuem, quod videret non esse referibile in ipsum verum vltimum finem, tamen esse referibile in istud bonum in communi, posset illud isto modo appetere, & non mortaliter peccaret, nam illa circumstantia, vel aduertentia non addit mortalem malitiam, & homo potest interdum isto modo peccare venialiter.

Ad secundam concedo illum ordinem fuisse statutum à Deo in statu innocentie: dico tamen non potuisse infallibiliter seruari propter ea tantum dona, quæ in homine inhærebant, quia illa non efficiabant vt homo omnia opera sua in eo statu necessario actu referret in verum vltimum finem: oportet ergo prætereā addere singulare præsidium, & Spiritus sancti auxilium, vt a se libi diximus.

Propositio tertia. Per se, & absolute innuincibili ignorantia nullus potest venialiter peccare, qui non possit etiam mortaliter, quantum est ex intrinseca dispositione eius. Probat: nam duobus modis potest id contingere, primo si quis haberet imperfectam quandam libertatem, quæ sufficiens esse solet ad peccandum venialiter, & tamen non haberet perfectam libertatem ad peccatum mortale, quem modum censent aliqui contingere in pueris ad vsum rationis accedentibus, nam prius habent imperfectum rationis vsum, & idem putant posse contingere in aliquibus amentibus, & dormientibus, quod etiam censet probabile Victoria cum Nominalibus p. 2. in relectione de peruenientibus ad vsum rationibus: hunc autem modum esse impossibilem aperte indicat D. Thomas 1. 2. quest. 89. artic. 6. & in 4. d. 91. artic. 4. Probat, quia nullus potest peccare, quia non habeat eum rationis vsum, quo possit honestum à turpi discernere, & quod velit horum eligere, sed qui habet istam facultatem rationis, & libertatis, potest mortaliter peccare: ergo, &c. Maior patet, quia omne peccatum essentialiter includit priuationem honestatis debite in esse: ergo omne peccatum necessario seponit potestatem honestè operandi: ergo, &c. Confirmatur, nam peccatum veniale minus malum est, quam mortale, qui autem potest cognoscere minus malum, potest cognoscere maius in eodem ordine: ergo, &c. Confirmatur secundo, quia qui potest peccare

VI.

VII.

VIII.

3. Propositio. Vnus modus contra prius huius propositum.

care venialiter, potest mereri, & potest se ipsum referre in vltimum finem, & suas actiones: nam si venialiter peccat, est quia non refert: ergo potest peccare mortaliter.

IX. Secundo modo potest accidere si aliquis ita periceretur gratia Dei, vt necessario contineretur ne peccaret mortaliter, non tamē venialiter. At neque hic modus potest admitti, propter rationes ferē factas in secunda cōclusionē *num. 3.* & 4. quia omni illa intrinseca dispositione, quæ sit per habitus, vtimur cum volumus: ergo nullam infert necessitatem. Confirmatur, nam omnes illi habitus per se non coniungunt hominem cum vltimo fine perfectē, & non minus permittunt non considerare cum homo operatur in materia graui, quam cum operatur in materia leui: ergo, &c. Tandem id patet inductione in Adamo, & Angelis: & in ipsis beatis, solum actualis visio, & amor potest auferre potestatem peccandi.

X. Sed arguitur contra priorem partem. Nam in motibus secundo primis reperitur libertas sufficiens ad peccandum venialiter, & non mortaliter: ergo. Confirmatur, nam peccatum veniale est quid imperfectum in genere moris: ergo imperfecta ratione, & libertate committi potest. Sed hæc esse potest in aliquo, vt in paruulo: ergo. Propter hoc dicunt quidam conclusionem habere verum in peccato veniali quod per deliberationem perfectam committitur, sed non est necesse. Dico ergo propterea addi in conclusionē per se, in motibus enim secundo primis per accidens est hominem non exercere actum ea libertate, & rationis perfectione, qua reuera præditus est, quam si modo haberet non imputaretur sic operanti defectus illius actus, qui propriæ culpæ tribuitur: quia absolute potuit vitari ab homine habente perfectam facultatem, & libertatem arbitrij: quia vero homo neque actu vitatur illa facultate, neque moraliter potest sine magna difficultate, propterea culpa illa venialis est: quocirca licet demus pueros paulatim peruenire ad vsum rationis, & prius habere aliquem modum discursus, & quandam forte indifferentiam in suis actibus: tamen donec ratione, & libero arbitrio perfecte vti valeant, neque sunt domini suorum actuum, neque etiam viliam venialem eontra hunc culpam. Vnde ad confirmationem dico, ad peccandum venialiter sufficere quidem imperfectum vsum libertatis: dico tamen necessariam esse perfectam vim deliberandi in eo, qui sic imperfecte operatur.

SECTIO VIII.

An mortale debeat necessario præcedere veniale.

I. Questionem hanc tractat D. Th. 1. 2. q. 89. artic. 6. sub hoc titulo, vtum peccatum veniale possit esse cum solo originali, quia hoc loco non est questio de homine in statu innocentie, de quo iam diximus. Est autem eadem controuersia de homine in puris naturalibus: sed eodem modo definienda quo de homine lapsō, vt etiam docuimus in tract. de opere sex dierum lib. 3. cap. 12. an. 15. Aduertendum ergo est omnes in hoc conuenire, quod si homo quando ad vsum rationis peruenit, in primo forte suo actu se ad Deum conuertat, & gratiam consequatur, postea posse peccare, & indifferenter incipere à peccato veniali, aut mortali. Difficultas est ergo de homi-

Suarez in primam secundæ D. Thom.

ne peccante tam mortaliter, quam venialiter. Et partem a firm. docuit Diuus Thomas citato artic. 6. & questione vigesima prima, de veritate artic. 3. ad 4. & de malo artic. 2. & in 1. d. 42. q. 1. art. 5. ad 7. Fundamentum est, quia homo in primo instanti vsum rationis tenetur se conuertere ad Deum, quod si faciat iustificabitur; si non faciat, mortaliter peccabit. Maior patet primum quod in eo instanti primo homini occurrit, est deliberatio de se, & de suo vltimo fine: ergo, &c. Confirmatur primo, quia alias posset mori homo in peccato originali, & solo veniali, & consequenter absque vlla pœna alterius vitæ. Consequens videtur falsum, nam posset in eò statu mori: nullus est autem locus in inferno, in quo puniti possit iste homo. Confirmatur secundo; Nam in cap. maiores, de Baptismo, indicatur hominem adultum in originali existentem semper habere adiunctum mortale peccatum.

In hac questione quid sit præceptum videamus. Secundo respondebimus questione. Aduertendum est, quid vocemur primum instans vsum rationis: nam cum ratio sit vis intellectus ad ratiocinandum, & conferendum vnum cum alia, ex qua vi sequitur potestas libere eligendi, peruenire ad vsum rationis est peruenire ad eum statum, in quo homo habet facultatem humano modo operandi: primum autē instans vsum rationis hoc loco non sumitur mathematicæ pro illo primo instanti tēporis: quo homo incipit esse dispositus vere, ad vtendum ratione: neque etiam significat illud, in quo primo incipit deliberare, sed significat illud instans, vel tempus, in quo perficit suam primam actionem perfectē liberam quoad exercitium, & specificationem, vnde humano modo loquendo, inter illud instans primum, de quo homo est aptus ad ratiocinandum, & instans, quo potest peccare, est aliquid temporis, quia deliberatio humano modo non fit sine tempore, imo addit Victoria in relectione de hac re, non censeri primum instans vsum rationis, donec aliquis censeatur percipere actu aliquid tantquam honestum, vel turpe, & ita eligat, vt stimulum conscientie sentiat, quod probabile est, licet forte non sit simpliciter necessarium. Hoc posito vult D. Thomas teneri hominem ex singulari præcepto efficere, vt ille primus actus, quem in prima deliberatione efficit, sit conuersio ad Deum, tamen in hoc explicando Thomistæ non consentiunt.

Quidam illorum dicunt debere illam conuersionem esse necessario amorem Dei verum super omnia, ita Capreolus 2. d. 40. artic. 3. ad argumenta Soto libro secundo, de iustitia quest. 3. artic. 2. & Nauar. capite septimo, num. 11. & cap. quando num. 47. & verè videtur sensus D. Thomæ, quia vult istam conuersionem esse dispositionem sufficentem. Ratio esse potest, quia nullum præceptum, nisi charitatis, obligat hominem vt conuertatur in Deum per se: hoc autem præceptum cum affirmatiuum sit, & non obliget pro semper, nunquam videtur melius obligare, quam in primo opere, nam illo transacto non erit maior ratio de vno tempore, quam de alio, vsque ad extremum vitæ periculum. Est autem absurdum tantæ præcepti obligationem eicere in vltimum vitæ terminum: ergo. Confirmatur, quia ordo nature postulat, vt cum homo inchoat vitam rationalem, incipiat à cognitione vltimi finis, nam ex ea pendet bona institutio vitæ. Sed huic sententiæ contraducunt reliqui Thomistæ, & reliqui omnes Theologi, quia non est credibile Deum obligasse hominem in prima illustratione rationis ad primum, & difficillimum præceptum statim exequen-

II. Exponitur questio sensus, quæ ad 1. eius partem.

III.

1. Interpretationis opinionis D. Thomæ.